J. N. J.

ORATIO IIda

O Hieroſolyma! Hieroſolyma, mater diviſſima, duriſſima! Sed qd te
Hieroſolymam voco? O crudeliſſima Babylon! Itane tu theatrum hodie
[tr]iſtis ferale, quod cruentis cortinis aperitur nobis, ut JESUS cernatur pa:
tiens inter tot crudeliſſimos tyrannos, quot numerari à me nequeunt. Pu:
taſſem equidem te veterum juſtorum eſſe domicilium, eſſe Coeli figuram, eſſe
divinæ ſupernæ imaginem, eſſe Prophetarum ſcholam, eſſe æternam, æterni
[...]ti ſedem et habitaculum, eſſe Eccleſiæ militantis aram, eſſe myſteriorum a:
[...]driorum circum, eſſe Chriſti Apoſtolorumqz Academiam, eſſe montem illum
[sa]nctum, è quo egredi debebat verbum Domini in omnes terræ par:
tes; Sed eheu! quam nocens hodie es Lerna, è qua rabida, furioſa,
virulenta hydra proſerpit, cui tot monſtroſa capita, de ſuo ſanguine
[...]cta renaſcuntur, quot olim ex angue Lerneo? In te ubiqz rabies hu:
mana miſcet hodie arenam, ut Chriſti ſanguine miſceatur: in te conſpirant
[in]ferorum mundiqz vires, ut condemnetur innocentiſſimus: in te uno die con:
[cur]rent omnium ſeculorum ſcelera: in te urbe olim celeberrima impiiſſi:
mum hoc fit decretum, ut ille, qui ſpiʒ et pace de promovenda tuâ ſa:
lute cogitaverat, ad tribunal, imò et ad ipſum ferale patibulum rapiatur.
O Hieroſolyma, Hieroſolyma, quæ te dementia cepit! O crudeliſſima Babylon,
quæ intemperiæ te agitant! Vos, venerandi Auditores, viri omnium or:
dinum ſpectatiſſimi, date mihi paulo liberius loquendi veniam, mihi, inquam, qui
[Chri]ſto zelo percitus ad detonandum ſurrexi. Quidni autem detonarem? Ecce enim Urbs,
[ill]a quæ, ut ſuum teſtaretur amorem JESUS, toties fleverat, et ingemuerat,
hodie odium ſuum plus quam Vatinianum erga JESUM declarat ridendo,
[cru]deliterqz ſubſannando; Urbs, ſuper quam JESUS miſericordiæ ſuæ alas to:
ties expanderat, ut tanquam filiam patrocinio ſuo tueretur, ſævitiæ ac furo:
ris portas hodie aperit, Conditorem ac Conſervatorem ſuum trucidando. O
[per]fidiam! O infamiam! O perſtrictam malitiam! Emitte vocem ingrata Sion:
[lacri]mis an tibi et lamenta Jeremiæ perierunt, qui ſuperbiæ tuæ ruinam plo:
rantibus oculis et attonitâ mente longe ante prævidit. At tu taces Urbs
[ing]rata Sion, dumqz taces, me ſilentio tuo malitioſo eò impellis, ut loqui,
[aud]eam, tuaqz ſceleſtiſſima facinora deteſtari. O Hieroſolyma, Hieroſo:
lyma, horrendum et ingens monſtrum, cui lumen ademptum! O crudeliſ:
ſima Babylon, debuiſſes me Chriſte ad ſtateram mentis expendere verba
[ama]ntiſſima Servatoris tui, quibus dixerat: Ecce ſto ad oſtium, et pulſo, ſi qs
[au]dierit vocem, et aperuerit januam, intrabo ad illum. Atqui et tu ape:
ruiſti januam: Aperuiſti ut jure meritoqz Babylon nuncupareris: Aperuiſti
iſte, januam, non ut clementer cum JESU tuo ageres, ſed ut acerbitatis
ſuæ virus in illum evomeres. O facinus ab ipſa humanitate barbarum! O
dementiam crudeliſſimo hoſte dignam! Sed quo uſqz tandem? detonare
[de]ſino: deſino deteſtari, lacrymari autem jam incipio, dumqz lacrymas
[amari]ſſimas fundo, manibus pedibusqz tremulis, vultu velato, animoqz per:
turbato adſto, JESUM oculis mentis cernendum exhibiturus, prout ipſe
[J]udex ad rigorem juſtitiæ vindicativæ Æterno Patri pro nobis fecit ſatis
in magno Pontificis Palatio. Vos, vero Auditores emi:
nentiſſimi, viri excellenti amplitudine, reverendâ dignitate, et ſapi:
entiâ ſplendide ornati, adeſte animis, dumqz adeſtis, date veniam, ſi
ſublimia humiliter, ampla tenuiter, illuſtria nimis leviter tractavero:
[...]ro n. largior, me prorſus imparem oneri humeris meis ſuſcepiſſe: nec
tamen ullus dubito, quin ſi pro rei dignitate loqui hodie non va:
leam, mihi tamen pro ingenioli mei tenuitate liceat balbutire.